

Après le 19 janvier 1421.

« Illustri domina, domina Battista de Malatestis de Monte Feretro <sup>1</sup>, ad sanctissimum papam Martinum <sup>2</sup>, pro favore serenissime domine, domine Cleophe de Malatestis, nupte filio imperatoris Romanorum <sup>3</sup>.

Paveo equidem, beatissime pater, nec mediocriter vereor, cum instia muliercula sim, Tue Celsitudinis aures inquietare incomptis verbulis meis; sed diurne et innumerabiles augustie, illius videlicet fidelis ancille tue fama, quam in parte sum experta, oris claustra propulsant, maxime cum non pro secularibus commodis Tuam Sanctitatem decreverim exorare, ymmo anime salute que pro integritate catholice fidei tot et tanta perpessa est, quanta neminem his temporibus sustinuisse cognovi. Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, vis tamen caute, que me medullitus angit et afficit, tuaque benignitas atque humanitas ausum prebent. Quapropter, muliebri timiditate deposita, coram venerandis Tue Sanctitatis prostrata vestigiis, eandem simpliciter et temebunde deposco, ne animam, pro qua Jesus Christus non recusavit crucis subire suplitium, suo derelinquat patrocínio destitutam. Nosti enim, beatissime pater, quod ovicula illa tua non absque consensu tuo corporaliter a grege se juncta est <sup>4</sup>; ne igitur sequestretur et mente, inquire eam oportune, pastor, et illius imitare velis exemplum, cujus vicem geris in terris, qui errantem propriis humeris reduxit ad caulas. Timendum namque est ne mens illa que, invisibili subsidio roborata, huc usque incredibili formidine inmota permansit, deinceps pusillanimitate deficiat, presertim si in mediis fluctibus derelicta se senserit, nec saltem tibi manum porrigi sublevantem. Cum ergo fidei orthodoxe defensor et gubernator existis, illaque pro fide servanda tot pericula patitur et erumpnas, a quo nisi a Beatitudine Tua potest et debet auxilium postulare, cui et potissime incumbit cura et a Deo potentia? Eya ergo, sanctissime pater, consurge in defensionem constantissime filie, que tibi sanguine et spiritu conjuncta est, eoque vigilantius quo nunc acrius impugnata[m] agnoveris, a bello utique domestico et intestina pugna. Venerabilis namque pater, presentium lator, Sanctitati Tue omnia seriose expositurus, adveniet. Quem cum audiveris, nisi sis finice (*sic*), alias silice natus, hyrcanarum tigrium lacte nutritus, absque dubio movebuntur omnia viscera tua, solitaque pietate devictus, celerrime et benigne subvenies indigenti, minimeque hujuscemodi opus erit in posterum, sed potius gratiarum actione apud Beatitudinem Tuam; cujus pedibus me humiliter et instantissime recommitto <sup>5</sup>. »

(*Biblioteca Riccardiana* de Florence, ms. 346, fol. 29—29 v<sup>o</sup>.)

<sup>1</sup> Montefeltro.

<sup>2</sup> Martin V (1417—1431).

<sup>3</sup> *Romeorum*. Voy., sur ce mariage, plus haut, à la date du 10 novembre 1417 et Litta, *Famiglia nobili d'Italia*, art. Malatesta.

<sup>4</sup> Le pape avoit dû accorder des dispenses pour le mariage avec un schismatique. Voy. Rinaldi, ouvr. cité, année 1418, § 17.

<sup>5</sup> Il semble que le despote vouloit contraindre sa femme à abjurer la foi catholique. Si les lettres du pape citées par Ceconi, ouvr. cité, pp. 30—31, sont dues à l'intervention de Battista des Malatesti, il faudroit descendre la date de cette pièce jusqu'après la mort de l'empereur Manuel (21 juillet 1425; voy. Phrantzès, p. 122 et notre première série, p. 402, note 2).